



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 16. Theodotus Patriarcha.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

*nefas devitemus & peccatum, cuius Ma- Sæculum IX.  
jesta tua particeps fieret, cedo invitus & A. C. 815.  
necessitate compulsus Sede mea. Ceterum  
gratias agam Deo, quamcunque sortem  
mibi obtingere imposterum permisérunt.*

Imperator hac Epistola maligno risu accepta Thomæ Patritio mandat, ut cohorte militum cinctus iret, & media nocte Patriarcham comprehendenderet. Patriarcha, cum illa noctis hora milites ad se intrarent, petiit lumen inferri, surrexit e strato & manibus suorum nixus arrepto thuribulo duobus luciferis præeuntibus in Ecclesiam se contulit, ubi in pavimento prostratus locum Sacrum Deo commendavit, ne profanaretur ab impiis. Tum Ecclesiæ suæ & Civitati Constantinopolitanæ valedicit, & lecticam scandens in Arcem defertur. Inde scaphæ impositus Chrysopolim transvehitur, mittiturque in Monasterium Agathi, id est Boni, quod ædificaverat. Sed modico post tempore ulterius ad S. Theodori Monasterium, ab ipso quoque fundatum, transfertur.

### §. XVI.

#### *Theodotus Patriarcha.*

Nicephoro Patriarcha in exilium ab- *Ap. Theoph.*  
stracto Imperator sequente die ma-  
ne populum ad concionem vocat, simu-  
latque Nicephorum sponte sua Ecclesiam  
D , suam

**T**aculum IX. suam dereliquisse & discessisse. Mox.  
A.C. 815. que in ejus Sedem Joannem Leconomantam suffecturo, ut promisso se exsolveret, obfliterunt Patritii dicentes:  
*Juvenis est obscuri nominis, non decet nos viros Senes coram ipso prosterni.* Itaque Leo Theodotum elegit filium Michaelis Patritii, qui Constantini Copronymi Sororem in matrimonium acceperat. Theodosius Spatarius Imperatoris erat, & in eadem de imaginibus sententia. Nulla autem in eo pietas aut rerum spirituallium scientia. Sacris litteris leviter tintetus, de cetero vir mansuetus & bonus videbatur.

Patriarcha absente imaginum hostes illico eas delere, dejicere, comburere & omnibus modis profanare. S. Theodorus Studita autem, ut huic scandalō insigne pietatis exemplum opponeret, jussit Monachos suos imagines manibus suis tenere, & procedentes in solemnī pompa Dominicæ Palmarum cantare Hymnum, cuius initium: *Adoramus imaginem tuam purissimam*, aliosque hujusmodi in honorem IESu Christi concinnatos. Ita cantantes Monasterium circumiverunt; cumque id ad aures Imperatoris pervenisset, Theodoro denuntiari jussit; nisi ejusmodi cultu abstineret, flagris & ipsa morte puniendum. Sed S. Abbas contra audentior ivit, fidem Catholicam docuit,

docuit, omnesque se consulentes ad SS. Sæculum XI.  
imaginum cultum exhortatus est.

A. C. 815.

Novus Patriarcha Theodotus ordinatus est in die Paschæ prima Aprilis anno octingentesimo decimo quinto, & annis sex hanc Sedem tenuit. Quamprimum Palatii Patriarchalis possessionem adiit, cœpit lautissima celebrare convivia, atque Clericos, Monachos, Episcopos, qui a puerō abstinuerant a carnibus, ad eas manducandas compulit. Amandata modestia & gravitate, quæ prius hanc domum commendabant, risus, lusus, luctationes, scurria & sermones obsceni successerunt.

### §. XVII.

#### *Concilium Iconoclastarum.*

Peractis Festis Paschalibus jubente Léo-  
ne Imperatore Concilium Iconocla-  
starum & Episcoporum, qui perterriti  
cesserant, in Ecclesia S. Sophiæ congre-  
gatum, cui novus Patriarcha Theodo-  
tus cognomento *Cassitera* præerat. Vo-  
luit quoque Imperator, ut filius suus  
Symbatius, quem Constantinum appell-  
avit, Concilio adesset, ne si ipse adiret,  
Doctrinam illi, cui Imperium suscipiens  
subscripserat, contrariam approbare co-  
geretur. Abbates Constantinopolitani  
ad Synodus vocati data Epistola, quam  
S. Theodorus Studita nomine omnium

*vit. Niceph.*  
*n. 73.*

D 4                    scripsit,